# DISSERTATIO MEDICA

# INAUGURALIS,

DE

# PODAGRA.

3

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

# PODAGRA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T.P.

*ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;*

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS MORGAN,

CAMBRO-BRITANNUS,

SOCIET. NATUR. STUDIOS. EDIN.

SOD. EXTR.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

---

*Non jubeo ut pauper ſis.—Si vis ſanus eſſe, vive ut pauper. Latens aurum in arcula animo tantum nocet, victus delicatior et animo nocet et corpori, proinde ſi pellere vis Podagram, pelle delicias.*

PETRARCH. Fam. Epiſt. Lib. III. Epiſt. xiii.

---

EDINBURGI:

*CUM PRIVILEGIO.*

APUD ROBERTUM ALLAN.

M,DCC,XCVI.

JOANNI MORGAN

ARMIGERO,

APUD MARIDUNUM IN CAMBRIA;

VIRO

INGENIO, ERUDITIONE, OPTIMISQUE MORIBUS

PRÆCELLENTI;

PATRUO SUO DILECTO,

QUALEM NEQUE CANDIDIOREM

TERRA TULIT, NEQUE CUI SE SIT DEVINCTIOR ALTER,

TUM OB INCOCTUM GENEROSO PECTUS HONESTO,

TUM OB BENEFICIA VERE PATERNA

SIBI A TENERIS ANNIS,

PATRE EHEU! PROPERA MORTE ORBATO,

JUDICIO, CONSIDERATE, CONSTANTERQUE

DELATA,

QUÆ,

DUM MEMOR IPSE SUI, DUM SPIRITUS HOS REGIT ARTUS,

MANEBUNT ALTA MENTE REPOSTA;

NECNON

NECNON

HENRICO NIBBS ET GULIELMO WEBB,

CONDISCIPULIS SUIS AMICISQUE CARISSIMIS,

DOCTRINA VIRTUTIBUSQUE LENIORIBUS

INSIGNITER ORNATIS,

PROPTER COMMODA NON PAUCA, NEC PARVA,

EX EORUM FAMILIARITATE,

TRES PER ANNOS,

INTER CURRICULUM ACADEMICUM,

PERCEPTA,

HOC OPUSCULUM,

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA,

LUBENS OFFERT

AUCTOR.

Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, et pallentis grana cumini;
Hic ſatur irriguo mavult turgeſcere ſomno;
Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille
In Venerem eſt putris: ſed cum lapidoſa chiragra
Fregerit articulos veteris ramalia fagi,
Tum craſſos tranſiſſe dies, lucemque paluſtrem,
Et ſibi jam ſeri vitam ingemuere relictam.

PERS. Sat. V.

3

# DISSERTATIO MEDICA

# INAUGURALIS,

DE

# PODAGRA.

*Auctore* CAROLO MORGAN.

EX morbis diuturnis, qui vitæ ſemitam obſident, eandemque moleſtam reddunt, nullus, ſive ſpectemus formas ejus diverſas, cruciatum ſummum, periculum quod ſæpiſſime facit, necnon angorem tam animi quam corporis, quo aggreſſus ejus ſemper

 ſtipati

ſtipati ſunt ; majore jure attentionem medici vindicat, quam ille, de quo nunc agere lubet. Medici igitur animos ad hunc morbum magnopere adhibuerunt, multumque laboris in natura ejus ſcrutanda impenſum fuit ; attamen cauſa et natura ejuſdem adeo tenebris involutæ ſunt, ut etiam huc uſque penitus lateant. Et variæ opiniones, quæ diverſis temporibus prolatæ fuerunt, licet ingenioſiſſime quidem excogitatæ, ad rem expediendam non ſatis valent, nec fidem omni ex parte conciliant. Quid de hac re ope chemiæ fieri poterit, non auſim prædicere ; ſed ex illuſtratione, quam variæ humani corporis actiones ab ea nuper acceperunt, forſitan ſperare licet, morbum hunc non ſemper fore medicorum opprobrium.

De tempore, quo podagra primum apparebat, equidem incertus ſum. Nonnulli autem mentionem ejus antiquiſſimam in ſcriptis ſacris inveniri exiſtimant : Sed utrum hæc opinio vero ſit nec ne, haud nunc eſt in animo ſtatuere. Certum eſt ab Hippocratis et Luciani ſcriptis iſtam innotuiſſe Græcis ;

Græcis; et ex Celſo, Seneca, aliiſque, ſatis conſtat, eandem non perraram fuiſſe inter Romanos.

Quamvis effectus, quos exculti mores, ac variæ vitæ mutationes ex iis prøvenientes, in animum humanum ediderunt, emolliendo nempe aſperitatem, et hominem ex ſtatu belluis communi transferendo ad animi exercitium, per quod ſolum anima fruitur, multum ad humanum genus elevandum conferant; attamen, ſi conſideremus tot tantoſque appetitus naturæ minime conſentaneos ex hoc fonte oriri, et morborum cohortem exinde provenire, confitendum eſt, effectus, quos edidit in corpus et animum valde diſcrepare; atque haud parum dubito, utrum humanæ genti plus contingat felicitatis nunc, quam olim, quum vitam tranſiverunt ſicuti pecora legibus naturæ tantum obedientia.

Dum homo ſimplex rudiſque vivebat, animo et corpore luxurie ac intemperantia non pravatis, veriſimile eſt, eum ab hoc aliiſque morbis chronicis omnino immunem fuiſſe; verum ſimul ac luxus

cum caterva malorum, quæ iſtum nunquam non comitantur, ingruerunt; ubi pro labore deſidia, pro victu tenui et ſimplice epulis lautioribus homines vitam contriverunt; ſimul cum moribus corporis habitus immutatus fuit. Atque ab hac cauſa multi mortales, quibus profecto corpus voluptati, anima oneri, fuit, novos falſoſque appetitus acquiſiverunt, quibus contra naturam obtemperantes mala ſibimet adduxerunt, atque hæreditatem perpetuam miſeris poſteris tradiderunt. Hinc, ut mea fert opinio, non ſolum podagra, ſed omnes fere morbi chronici originem ſuam duxerunt.

Ad hanc confirmandam opinionem non alienum erit adnotare, podagram nunquam vel ſaltem perraro incultos homines invadere. "I have heard," inquit Ruſhius, "of two or three caſes of the Gout among the Indians, but it was only among thoſe who had learned the uſe of rum from the white people *."—"The Laplanders," ait etiam Smel-

* Inquiry into the Natural Hiſtory of Medicine amoug the Indians.

Smelleius, " drink water or animal oils, but never taſte bread or ſalt. They live in a pure air, and have ſufficient exerciſe. Their conſtitutions are attempered to the coldneſs of the climate, and they are remarkable for vigour and longevity. The Gout, the Stone, the Rheumatiſm, and many other diſeaſes which torture the luxurious in milder climates, are unknown to them *."—— Viros quoque labore continuo occupatos, qui vitam parce ac duriter agunt, hic morbus rariſſime vexat; dum divites, qui voluptati tantum parent, quique intemperantiæ magiſquam corporis ſanitati ſtudent, ferme nunquam non cruciantur.

Tempore Hippocratis hicce morbus, ſi ex comparatione loqui liceat, haud valde frequens fuit: Sexcentis autem annis poſtea, quum luxus maxime vigebat, magnopere prevaluit; quod quidem Galenus atque Seneca jure intemperantiæ ac deſidiæ, quæ eo tempore maxime regnabant, attribuerunt.

Homo

* Philoſophy of Natural Hiſtory.

Homo revera minus temperate vivendo mala fere omnia chronica ſibi intulit, et ob intemperantiam quam magnas dat pœnas! Prima ætate luxu atque voluptatibus diffluens, immemor heu! quot quantaque mala ſoluti mores ſecum afferant, carpendo voluptatem, quæ natura ſemper caduca eſt, ſanitatem perdit, juventute ſeneſcit, atque maturo ævo lecto affixus, haud ſatis valet, ex dolore vel rigiditate, membra ea movere, quæ natura ad eum ſuſtinendum deſignaverat.

Morbus hic plerumque hæreditarius eſt, atque definitio illuſtriſſimi Culleni, licet aliquid objici poſſit, tamen ad morbum dignoſcendum ſatis accurata eſt. Hoc modo definitur.

" Morbus hæreditarius, oriens ſine cauſa externa evidente, ſed præeunte plerumque ventriculi affectione inſolita; pyrexia; dolor ad articulum, et plerumqne pedis pollici, certe pedum et manuum juncturis, potiſſimum infeſtus; per intervalla revertens,

vertens, et ſæpe cum ventriculi, vel aliarum internarum partium affectionibus alternans."

Primo ab Hippocrate notatum fuit, podagram fere tempore verno ac autumnali maxime ingruere. " Podagricæ affectiones, " inquit ille," vere et autumno ut plurimum moventur ;" atque hanc obſervationem ſcriptores ferme omnes ab ejus tempore confirmaverunt. Sed ſub Januarii finem et Februarii initium eſt tempus maxime ab arthriticis timendum, nam per hoc tempus podagra præſertim invadere ſolet.

Illi maxime podagra plectuntur, quibus temperamentum cholerico ſanguineum eſt, et quorum corpus ſanguine nimis abundat ; hi quoque, qui capite magno inſtruuntur, atque magna corporis firmitate pollent, ejus tentationibus valde obnoxii ſunt ; et denique, ſecundum Sydenhamum aliosque auctores, ii, qui ingenii vigore gaudent, magis inſipientibus periclitantur.

Quanquam

Quanquam neutri ſexui parcit, attamen multo frequentius virilem quam muliebrem, atque ex ſexu ſequiori eas præcipue, quæ vitam otioſe ac nimis licenter tractârunt, corripit. Obſervatio notatu digna a multis medicis facta fuit, fœminas ſcilicet ex ſtirpe arthritica natas affectionibus nephriticis, et prolem maſculinam ejuſdem ſtirpis podagricis magis patere.

Eunuchos, niſi nimis laute degant, atque habitus valde plethorici ſint, ab hoc morbo ſecuros eſſe fertur. Pauperes etiam rarius tali morbo vexantur; quippe quia labor aſſiduus, et modus recte ac temperate vivendi, quibus uti coguntur magna ex parte ſanitatem corporis atque animi conſervant, et haudquaquam ad hunc morbum alendum conferunt. Aliquando tamen humiles caſus interviſit, plerumque autem ædes divitum frequentat, qua de cauſa Morbus Dominorum appellata eſt; nec non ob dolorem ſæviſſimum quicum ſemper conſociatur, nomen, Dominus Morborum, eidem attributum eſt.

Rarius

Rarius ante annum trigeſimum quintum occupat, interdum tamen multo citius adoritur. Egomet ipſe, antequam annum viceſſimum ſecundum compleveram, tentationem ejus expertus fui. Atque juvenis mihi bene notus, et omni fide dignus, qui nunc in hac alma academia ad rei medicæ ſtudia incumbit, cujus vita ſatis ſobria ac temperata ſemper fuit, me certiorem facit, ſe acceſſu ejuſdem anno undevigeſimo ætatis tentatum eſſe. Monumenta revera medicorum præbent exempla, ubi etiam infantes corripuit; ſed hæc exempla perrara ſunt, certumque eſt, eos ac impuberes haud ſæpe ita vexari. Ejus impetus multo plus doloris excitant, atque temporibus magis certis redire ſolent, cum in juventute exercuit, quam cum ad ſenectutem uſque latuit.

Notatum eſt a Gregorio, patre filii ipſo digniſſimi, huncce morbum, ſi mature admodum in vita invaſerit, circa ætatis annum quinquageſimum aliquando decedere *. Utinam quidem hæc obſer-



* *Vide* Elements of the Practice of Phyſic, by John Gregory.

vatio vera eſſet ; namque poſtquam hic morbus ſemel atque iterum vexavit, maxime timendum eſt ut unquam prorſus ceſſaret.

Podagram diviſerunt ſcriptores medici in regularem atque irregularem ; hanc celeberrimus Cullenus iterumque in tres varietates diviſit atonicam nempe, retrogradam, et aberrantem. De his ſigillatim tractare in animo eſt.

## DE PODAGRA REGULARI.

His verbis a Culleno definitur :—" Podagra cum inflammatione artuum ſatis vehementi, per aliquot dies perſtante, et paulatim cum tumore, pruritu, et deſquamatione partis, recedente."

Nonnunquam ex improviſo adoritur, nullis indiciis prægreſſis, at plerumque affectiones multæ totius ſyſtematis, præſertim ventriculi, inter quem aliaſque

liaſque corporis partes mirus intercedit nexus, acceſſum ejus per aliquot dies vel etiam hebdomadas prægrediuntur.

Signa, quæ ejus acceſſionem denunciant, ſunt plerumque cibi faſtidium, alvus aſtricta, ventris inflatio, aliæque dyſpepſiæ notæ, cum laſſitudine atque animi demiſſione; frigus crurum ac pedum inſolitum ſimul cum horum ſudoris priſtini ſuppreſſione; inferiorum membrorum torpor cum tali ſenſu qualis ex ſpina illa pungente, aut aqua frigida per eadem fluente, oriatur, alternans; nec non muſculi crurum crebro contrahuntur; atque venæ ibidem more inſolito turgeſcunt.

Hæc ſigna interdum adſunt per aliquot dies priuſquam paroxyſmus propria forma invaſerit; ſed pridie ante acceſſum ventriculus miram ſubit mutationem; namque vice anorexiæ qua huc uſque homo laboraverat, cibi appetentia non ſolum non deficit, ſed etiam præter naturam augetur. Rebus ita ſe habentibus, ſe revaleſcere credit, atque tem-

pore uſitato it cubitum, ſperans, quando ex lecto mane ſurrexerit, bene valeturum eſſe. Antequam vero nox tota elapſa fuerit, ſpes eum omnino fallit; nam circa mediam noctem, aut fere circiter horam ſecundam vel tertiam matutinam, dolore ſæviſſimo, in aliqua pedis parte, plerumque pedis pollice, quem mox excipiunt horror atque alia febris indicia, ſubito expergiſcitur.

Articulum pollicis pedis plerumque primum adoritur, ſed exempla extant, ubi genua, atque carpus ac manus, nulla pedum affectione aut prægrediente aut comitante, primo tentantur.

Primo acceſſu dolor non valde acutus eſt, ſed gradatim augeſcit ad veſperam uſque, quando adeo vehemens fit, ut eum vix æger tolerare poſſit. In hoc ſtatu, cruciatu ſummo afflictus, dolore tali ardet, qualis vix aut ne vix quidem vel verbis deſcribi vel mente concipi poteſt; nunc artubus vi, quaſi cuneo, divulſis, nunc quaſi canis morſibus laceratis, vel tanquam aqua fervente inter juncturas

affuſa

affusa cruciatis, miserandus æger per viginti quatuor horas vexatur ; ubi dolore diminui incipiente, atque leni sudore per totum corpus, præsertim per partes dolentes, quæ nunc rubræ et tumidæ videntur, erumpente, aliquid levaminis accipit. Mitigatur nunc, at non penitus definit dolor, qui de die in diem sub vesperam ingravescit, et non ante diluculum remittit.

Dolor pedem alterum solummodo primum urget, vero, paucos post dies, ad alterum migrat, ubi paululum commoratus ad priorem iterum redit, et hoc modo utrosque vicissim infestat per aliquod tempus. Aliquando etiam, licet perraro, ambos simul invadit. Sedem autem suam non solum ab uno ad alterum pedem mutat, sed frequenter ad alia membra, *e. g.* genua vel carpos, atque non tantum varia adoritur membra, at insuper si æger infirmus et ætate provectus sit, et podagra sæpe laboraverit, partes ad vitam multo magis necessarias petit.

Durante paroxyſmo cibi appetitus vel penitus deficit, vel multum imminuitur, et frigus, una cum gravitate quadam aut moleſtia partium doloris expertium, totum corpus invadit. Alvus maxima ex parte per totum morbi decurſum adſtricta eſt, et urina colorata ac parca, atque ſub finem ſedimentum craſſum fuſci coloris deponit. Hoc ſedimentum obſervare arthriticis haud injucundum eſt; quia plerique id criſin morbi eſſe putant, atque revera haud ſine cauſa, nam ſimul ac appareat, morbus mitigatur, et brevi poſtea prorſus diſcedit.

Paroxyſmo abeunte pes admodum prurit, præſertim inter digitos, et mox epidermis deglubitur, atque partes ex inflammatione adeo infirmæ ſunt, ut æger vix per aliquot dies, vel ſi paroxyſmus valde gravis fuerit, per hebdomadas aut menſes ambulare valeat.

Confecto paroxyſmo, cibi deſiderium cum corporis robore redit; homo valetudine meliore fruitur,

tur, et multis morbis quibus antea obnoxius erat, vacat : vires etiam novas tam animi quam corporis acquirit.

In hoc morbo non corpus ſolummodo petitur ; mens etiam angore afficitur. Durante paroxyſmo ægrotus apprime ſagax, ſed excors meticuloſuſque evadit ; atque, quamvis lepidus et placidus fuerit in valetudine ſecunda, nunc animo commotior fit. Si etiam quam leniter ſpiret ventus, aut ſonus quantuluſcunque fiat, ſtatim exæſtuat ira, vel moroſus fit. Hoc præcipue notavit Sydenhamus, qui dicit, ſingulos paroxyſmos iræ æque ac podagræ jure appellari poſſe.

Inflammatio, quæ hunc morbum comitatur, terminatione valde differt ab ea, quæ inflammationem communem concludit. Illam reſolutio, ſuppuratio, atque gangrena plerumque finiunt ; hæc autem in ſuppurationem et gangrenam nunquam abit, ſed in reſolutionem, membrorum rigiditatem, et muſculorum tabem, his ſcilicet in paralyſin reductis,

ductis, ſæpius deſinit. Atque etiam in quibuſdam, qui pluribus annis podagra laboravere, concretiones cretaceæ dictæ, quarum natura male vel non omnino intelligitur, inter articulos formantur.

Tempus per quod paroxyſmus perfectus, qui conſtat ex multis minoribus jam deſcriptis, durat, ſecundum ætatem et robur ægroti, atque impetuum numerum, quos antea ſuſtinuerit, variatur. Primo, atque in corporibus aliter ſanis, et ætate florente, crebro curſum abſolvit in dierum quatuordecem ſpatio, atque interdum etiam non tam longum tempus perdurat; in infirmis autem et ſenioribus, atque ſpeciatim in illis, qui podagra ſæpiſſime laboraverunt, in tempus ita longum excurrit, ut a morbo nunquam, niſi brevi ſpatio in æſtate, dum cælum eſt calidum ac ſudum, prorſus vacui ſint. Plerumque quo vehementior eſt dolor, eo brevior eſt paroxyſmus, eique tardius alter ſuccedet.

Inter-

Intervallum a primo ad ſecundum impetum admodum variat. Nonnulli quidem intercapedine plures per annos fruuntur; aliquando nempe ab ejus aggreſſibus per duos, tres, quatuor, aut ſeptem annos immunes ſunt; ſed fere poſt unam acceſſionem quotannis ægrotant. Acceſſibus ſæpe repetitis, intervallum admodum contrahitur: Ille, qui olim non niſi unicum paroxyſmum in anno paſſus eſt, nunc ſingulis annis bis, vere ſcilicet et autumno, infeſtatur, atque tandem ab cruciatibus ejus vix unquam omnino liber eſt.

Ex ſupra dictis liquet, affectionem articulorum inflammatoriam, propriæ diatheſeos effectum, podagram regularem præcipue notare; at ubi artus vel minime vel non omnino vexantur, atque ventriculus aut aliæ partes internæ laborant, tunc podagra irregularis nominatur, cujus tres varietates a Culleno notatæ ſunt.

## DE PODAGRA ATONICA.

" Podagra cum ventriculi vel alius partis internæ atonia, et vel ſine expectata aut ſolita artuum inflammatione, vel cum doloribus artuum lenibus tantum et fugacibus, et cum dyſpepſia vel aliis atoniæ ſymptomatis, ſubito ſæpe alternantibus."

Huic definitioni nihil objici poſſit, ſi additum eſſet, in aliquo, qui antea podagra laboraverat, vel in quo diſpoſitio ad podagram prævalet; quippe ſigna in hac definitione notata oriantur a dyſpepſia idiopathica, quam hæc podagræ forma adeo refert, ut ſumma circumſpectione in diagnoſi uti oporteat, ne temere credentes illam eſſe podagram talia remedia ad eandem revocandam adhibeamus, qualia dyſpepſiæ nocerent.

Signa

Signa hujus varietatis admodum inter ſeſe differunt pro partibus nimirum quæ infeſtantur. Si ventriculus afficiatur, et quod ſæpius accidit, ſigna ſunt dolores ejuſdem, laſſitudo et animæ demiſſio, anorexia, ructus acidi, nauſea, vomitus, aliaque dyſpepſiæ indicia, nec non dolores ſpaſmique trunci et extremitatum ſuperiorum, quæ omnia ſæpe expulſione flatus e ſtomacho levantur. Alvus plerumque aſtricta eſt, interdum tamen diarrhœa cum torminibus urget, choleramque etiam ſemel adeſſe vidi. Hæc ſigna animus mæſtus, meticuloſus, ſpe dejectus, qualis exiſtat in hypochondriaſi fere comitatur. Si viſcera thoracis occupaverit, ſigna haud minus moleſta et multo periculoſiora oriuntur: Si cor adoriatur, palpitationem atque animæ defectionem; ſi pulmones, aſthma vel dyſpnœam; et ſi caput, cephalalgiam, vertiginem, apoplexiam, aut paralyſin, incitat.

## DE PODAGRA RETROGRADA.

" Podagra cum inflammatione artuum ſubito recedente, et ventriculi vel alius partis internæ atonia mox inſecuta."

Hæc varietas facile dignoſci poſſit; nam in hac forma podagra artus primum occupat, ſed, his ſubito relictis, partem aliquam internam petit. Ad ventriculum plerumque migrat, ubi effectus ejus adeo vehementes ſunt, ut interdum mortem ſubitam inferat. Hæc vulgo podagra in ſtomacho nominatur. Hanc anxietas, nauſea, vomitus, atque dolor vehementiſſimus comitantur.

Quamvis aliquot exempla prolata fuerint, ubi podagra retrograda ventriculo inflammationem intulerat,

tulerat, tamen multo ſæpius, ſecundum Gregorium eruditum, affectiones, quas ea ibi excitat, ſunt magis naturæ ſpaſmodicæ cum atonia, quam inflammatoriæ. Atque revera ſi animum advertamus ad remedia, quæ in hac varietate maxime proſunt, tonica ſcilicet et ſtimulantia, huic opinioni non poſſumus non favere.

Si pulmones occupârit, aſthma, ſi cor, ſyncopen inducit.

Si caput invaſerit, in apoplexiam ſæpius deſinit, atque ejus effectus periculo admodum pleni et fere lethales ſunt. Periculum multo magis imminet, et mors citius apoplexiæ ab hac cauſa ortæ ſuccedit, quam ab pleriſque quæ eam excitant.

## DE PODAGRA ABERRANTE.

" Podagra cum partis internæ inflammatione, vel non prægreſſa, vel prægreſſa, et ſubito recedente, inflammatione artuum."

Podagra ſub hac forma quam rariſſime invadit, adeo ut Cullenus, qui tamdiu medicinam exercuit, nunquam exemplum ejus viderit, et unum ſolummodo Gregorio præclaro occurrit.

Hæc varietas oriri videtur ab inflammatione, quæ artus aut leniter aut non omnino occupat, ſed partem aliquam internam vexat. Huic metaſtaſi, ſecundum auctores, maxime obnoxii ſunt pulmones, in quibus pneumoniam incitat.

Cullenus obſervat, affectionem veſicæ urinariæ cer-

cervicis, quæ dyſuriam et catarrhum veſicæ ſæpe excitat, et affectionem inteſtini recti, cum dolore in eodem, atque aliquando cum tumoribus hæmorrhoidalibus ſtipatam, alternare cum affectionibus artuum inflammatoriis; admodum vero dubitat, utrum hæ ad podagram retrogradam, an ad hanc ſpeciem referri debeant. Rem ſane hanc in medio relinquere placet.

## CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Ad hoc genus pertinent corpus atque caput magnum, temperamentum cholerico ſanguineum, habitus plenior et craſſior, ætas provectior, victus lautior, vinolentia, vita otioſa et ſedentaria, atque nimia venus, præſertim ſi præmatura fuerit. Ex his quædam et morbum excitant et proclivitatem ad eum præſtant. Sed labem hæreditariam, a parentibus ad prolem ſuam traditam, conſiderare licet cauſam eſſe,

eſſe, quæ proclivitatem ad hunc morbum præcipue omnium facit.

Quo modo morbus a parentibus ad liberos tranſmittatur, et qua origine naſcatur, ſive ex propria corporis conformatione, qua liberi parentes ſuos referunt, ideoque mala eorum hæreditate poſſident, an ex quodam alio, explicare admodum difficile eſt. Hunc igitur effectum, ut multas humani corporis actiones, quas in ſtatu ſcientiæ noſtræ præſenti exponere non poſſumus, ad legem naturæ primariam referre neceſſe eſt.

A quibuſdam auctoribus profecto negatur, hunc morbum hæreditarium eſſe. Inter hos præcipuum locum tenet ingenioſiſſimus Cadoganus, qui omnibus viribus proclivitati hæreditariæ obſiſtit; ſed uti nunc dierum fere omnes inter medicos podagram eſſe hæreditariam conſentitur, non operæ pretium eſt argumenta refellere, quorum validitas non rebus ſed auctoris ingenio nititur.

CAUSÆ

## CAUSÆ EXCITANTES.

Hæ a Culleno in duo genera dividuntur; in has nempe, quæ corpus plenius reddunt, et in illas, quæ corpori jam pleniori debilitatem inducunt.

Cauſæ, quæ ad effectum priorem conferunt, ſunt victus opiparus, vini aliorumque liquorum fortiorum perpotatio, vita otioſa et ſedentaria, atque halitus cutis, vel aliæ exinanitiones ſolitæ ſubito cohibita.

Illæ, quæ ad ſecundum conducunt, ſunt venus præmatura et immodica, potatio largior, ingluvies frequens, condimentorum uſus nimius, attentio intenta, ſeu ad negotium ſeu ad literarum ſtudia, pervigilium, evacuationes profuſæ, derelictio exercitii vel laboris ſoliti, mutatio ſubita a plena ad parcam

diætam, uſus frequentior acidorum vel aceſcentium, atque denique animi affectus deprimentes, præcipue vexatio aut mæror. Ira etiam permagna nonnunquam de repente podagram excitat in illis, qui ſæpiſſime illa laborârunt. Hinc adagium, " Bacchus pater, Venus mater, Ira obſtetrix Arthritidis." Affectiones item animi vehementes aliquando ejuſdem acceſſum pellunt.

Nonnullæ ex his cauſis directò in corpus agere videntur; aliæ autem non ita, quippe quæ ventriculi atoniam primo inducant, unde eadem ad reliquas corporis partes impertitur.

Præter cauſas ſupra dictas, exercitatio membrorum vehemens, frigus pedibus admotum, aut injuria aliqua illis oblata, præſertim in illis, quibus proclivitas ſit, ſæpiſſime podagram concitat. Quis podagricus ignorat quot mala calceamina conſtricta pedibus inferant? Quibus nihil certius podagræ impetum arceſſit.

## DIAGNOSIS.

Non multi ſunt morbi, quos podagra refert; hi autem ſæpe formas adeo ſimiles induunt, ut prudentia in diagnoſi formanda opus ſit. Rheumatiſmus regularem ejus formam maxime ſimulat, et frequenter medico difficile eſt unum ab altero morbo dignoſcere. Attamen ſignis, quæ acceſſum prægreſſa ſunt, atque ægrotantis corpore perpenſis, una cum attentione ad res ſequentes, diagnoſis ſatis accurata formari poſſit. Podagra plerumque vexat homines, qui annis graves ſunt, articulos minores occupat, et ſigna dyſpepſiæ fere eam prægrediuntur; rheumatiſmus contra ætate florente adoritur, articulos majores præcipue invadit, et nunquam vel ſaltem perraro, dyſpepſiæ indicia acceſſum ejus præeunt. Podagræ ſexus virilis, rheumatiſmo, muliebris magis patet. Cauſæ, quæ po-

dagram concitant, frequenter tarde ac paulatim, illæ, quæ rheumatiſmum incitant, ſæpius cito et derepente agunt, atque explorari poſſunt. Dolores, qui podagram comitantur, plerumque articulo cui inſideant, per aliquod tempus hærent, et frequenter, calore admoto, mitigantur; qui vero rheumatiſmum comitantur, ſæpius a parte primo affecta ad alteras ſubito migrant, et non ligamenta articulorum tantum ſed etiam muſculos ipſos, eorumque aponeuroſes occupat, atque calore adaugentur. In podagra inſuper pars dolens magis tumida, rubra atque ſplendens apparet, quam in rheumatiſmo. Sed præcipue, ſi æger a parentibus podagroſis originem duxerit, et ſi dyſpepſiæ notæ ante acceſſum adfuerint, tunc licebit colligere, morbum, quo laborat, podagram eſſe.

Quæcunque difficultas nobis in formanda diagnoſi in podagra regulari obſtet, varia ſigna, quæ in formis ejus irregularibus oriuntur, multo plus difficultatis habent, et maximam attentionem ad naturam eorum penitus cognoſcendam poſtulant.

Atten-

Attentio ad res, quæ impetum prægreſſæ ſunt, atque cognitio corporis habitus, morborumque, quibus antea obnoxium fuerit, erunt nobis optimus et certiſſimus, ſi non ſolus index.

## PROGNOSIS.

Podagra velut morbus inſanabilis et medicorum opprobrium ſemper habita, præſagium nunquam fauſtum fuit, et revera maxima ex parte talis evadit. Nam, quamvis in junioribus, et in primis acceſſibus, non multum periculi capiti inſtat; tamen impetibus ejus ſæpe repetitis, tandem ſub formis irregularibus invadit, quarum in ſingulis vita in maximo diſcrimine eſt. Si extremitates tantum occupaverit, ægroto juveni atque non infirmo, ſperandum eſt, illum convaleturum eſſe; attamen ſi, extremitatibus prætermiſſis, organo aliquo vitali inſideat, atque præſertim ſi æger infirmus atque ſenio confectus ſit, et hoc morbo ſæpe laboraverit,

nulla

nulla vel quidem minima ſpes affulget; tum enim æger in præcipiti verſatur. Denique, quo magis ad formam regularem appropinquat, eo minus periculi eſt.

## QUÆDAM DE MORBI NATURA.

Opiniones varias, quæ ad naturam vel cauſam proximam hujuſce morbi exponendam prolatæ fuerunt, non eſt in animo perſcrutari; enimvero ne una quidem ex illis, ut mea fert opinio, vel ejuſdem naturæ vel ſignorum variorum, quæ in eo oriuntur explicationem omni ex parte certam præbet.

Res ab omnibus medicis obſervata, et certe notatu digna, eſt nexus, qui inter nephritidem calculoſam et podagram intercedit. Vinculo ita arcto quidem junguntur, ut frequenter, quum arthriticus a podagra immunis ſit, nephritide laboret; et

vice

vice versâ. Ab hac aliisque rebus, opinio, utrosque morbos ab eadem causa pendere, nata fuit, et hypothesis hinc formata, quæ (ut ejus auctor ingeniosissimus existimat) omnia hujus morbi phœnomena explicare valet. Utrosque scilicet pendere ab acido peculiari, lithico dicto, opinatur *. Hanc vero opinionem, cum nunquam certe probatum sit, hocce acidum, nisi in nonnullis concretionibus calculosis, existere, et cum hoc, etiamsi exisserit, me judice, explicationem satis planam reddere non possit, silentio præterire consilium est.

Aliquid nocivi in podagræ paroxysmo ex corpore expelli, miræ mutationes, quas corpus ante et post accessum subit, plane ostendunt.

Mutatio in melius, quæ, paroxysmo finito, subsequitur, secundum opinionem Gregorii, indicat, hunc morbum non esse nervosi generis; quippe morbi omnes nervosi dicti corpus admodum debilitant,

* *Vide* A Treatise upon Gravel and Gout, by Murray Forbes, edit. 1793.

tant, adeo ut homo raro aut nunquam valetudinem priſtinam recuperet; quod quidem in podagra haud fieri ſolet.

Veriſimillimum eſt, ut idem profeſſor obſervat, aliquid in ſexu virili corpus ad hunc morbum opportunius reddere, eodem modo ac aliquid ſexui ſequiori proprium proclivitatem in hyſteriam facit. Uterque ſexus et podagræ et hyſteriæ obnoxius eſt; ex ſequiori autem eas præcipue podagra infeſtat, quarum habitus corporis ad illum ſexus alterius appropinquat, atque ex virili, hyſteria eos tantum vel ſaltem frequentius vexat, qui valde irritabiles ſunt, et quorum habitus muliebrem ſimulat. Sed qualis ſit hæcce proprietas, atque unde ea, nec non certi reditus, ſubitaque morbi tranſitio ex hac ad illam partem pendeant, prorſus ignoratur, ideoque ignorantiam veræ morbi naturæ profitere malo, quam commenta inutilia excogitare.

## CURATIO.

Licet vero certam hujus morbi naturam ignoremus, atque varia, quæ in eo oriuntur, phœnomena explicare nequeamus; veruntamen, attentione ad juvantia ac lædentia, et ad cauſas remotiores adhibita, iſtum, ſi non prorſus arcere, tamen acceſſiones ejus multo minus frequentiores reddere poſſimus. In hoc morbo nihil vel minimum duntaxat in paroxyſmis fieri poteſt; medicus tantummodo naturæ miniſter eſt. Quicquid agendum, id vel antequam morbus acceſſerit, vel in intervallis fieri debet; certuſque ſum ſi homines in juventute ſanitati magis ſtuderent, atque ſobrie ac temperate degerent, hunc morbum illos rarius vexaturum eſſe. Dolendum autem eſt, paucos eſſe homines prima ætate tanta animi conſtantia præditos, ut ullam rationem, quæ ad ſanitatem conducat, ſi

modo voluptates aut appetitus ſuos adverſetur, per aliquod tempus diligentius perſequantur. " Temeritas," bene obſervat Cicero, " eſt florentis ætatis; prudentia ſenectutis." Illi tamen qui tali conſtantia feliciter donati ſunt, atque mature in vita, quum corpus, nondum intemperantia fractum, vigore gaudet, temperanter ac modice vivunt, animo et corpore ſano, quod eſt optimum Dei donum, atque temperantiæ optimum præmium, ad ſenectutem uſque fruentur.

Ad hunc morbum præcavendum, exercitium crebrum et modicum, victus tenuis, atque ab omnibus condimentis liquoribuſque fortioribus abſtinentia optime conferunt. Ut hæc autem proſpere ſuccedant, opus eſt ut mature incepta atque conſtanter ſervata ſint.

" Principiis obſta, ſero medicina paratur,
" Cum mala per longas invaluere moras."

Cum

Cum exercitatio et temperantia ad hunc morbum arcendum maxime auxilientur, de his pauca nunc dicere oportet.

## DE EXERCITATIONE.

Satis conſtat ſanguinis plenitudinem atque ventriculi debilitatem hunc morbum fere præire, et in eodem plerumque adeſſe; conſilium primum igitur eſt his occurrere, atque ad hunc finem nihil magis valet quam exercitatio idonea, utpote quæ vires ventriculi et canalis alimentarii roboret, cibi digeſtionem adjuvet, atque ſordes in iiſdem accumulari non ſinat, et eodem tempore ſecretiones omnes promovendo plenitudini occurrat. Ambulatio ſub dio, me judice, magis ad ſanitatem tuendam confert, quam quævis exercitatio, ideoque equitationi vel geſtationi cujuſlibet generis anteponenda eſt. Hanc tamen, aut exercitationem ullius generis,

nunquam immodicam, ſed ſemper citra laſſitudinem, eſſe oportet.

## DE TEMPERANTIA.

Quod ad temperantiam attinet, magna quidem prudentia in victus ratione adhiberi debet; etenim nimia quantitas et cibi prava qualitas, necnon liquores fortiores æque ventriculo nocent; omnia igitur, quæ ſtomachum nimis onerant, vel plus juſto ſtimulant, et ab eo non facile coquuntur, ſedulo evitanda ſunt. Quippe talia non ſolum ventriculo nocent, ſed etiam plenitudini corporis favent.

Robuſtis et junioribus victus tenuis; infirmis atque ſenioribus victus lautior maxime convenit. Illis fruges terræ, lac atque aqua erunt optima diæta; his autem, qui victu opiparo uſi ſunt, et qui iterum atque iterum podagra laboraverunt, tali

abſtinentia

abſtinentia haudquaquam opus eſt; ſiquidem ea noceret magis quam prodeſſet. His profecto carnem atque vinum impune ſumere licet. Hoc perpetuo in animo teneri oportet, diætæ mutationem nunquam ſubitam fore; aliquid conſuetudini ſemper dandum eſt.

Cum podagra circiter tempus hiemale, ubi cæli temperies maxime variatur, homines hac regione maxime vexet, et cum experientia doceat "varios morbos tempore hiemali graſſantes, et nullis fere remediis cedentes, veniente æſtate facile ſanari *," migratio ſub brumam ab hoc nubilo atque variabili in benignius cælum arthriticis gratum remedium præſtat. Hi igitur, quibus rerum ſuppetit uſus, ab cæli mutatione magnum fructum accipere queunt.

Omnes arthriticos, qui ſanitati ſuæ ſtudeant, attentionem ad veſtitum maximam adhibere decet, quia, ut hic morbus arceatur, corpus atque præſertim

* Gregory, de Morbis Cæli Mutatione Medendis.

ſertim pedes contra frigus defendere maximi momenti eſt. Quodcunque etiam pedes irritare poſſit, evitari oportet, ideoque calceamenta conſtricta cavere neceſſe eſt.

Paroxyſmi dolorem mitigare, atque vim corporis, ſi abnormis ſit, reprimire, præcipue omnium convenit. Atque ad hoc ipſum efficiendum medici plerumque ſanguinis detractione, et generali et topica, alvi purgatione, medicamentis ſudorificis, atque opio utuntur. Sed utrum talis curatio innoxia ſit, admodum dubito. Sydenhamus, obſervator apprime ſagax, et ex propria experientia judicare optime idoneus, dolorem velut remedium a natura propoſitum ratus, ulla remedia ad paroxyſmum levandum adhiberi vetat. Interdum tamen, ubi æger juvenis et plethoricus eſt, opus ſit remediis uti; at quam rariſſime utenda ſunt; et nunquam niſi neceſſitas admodum urgeat, ad hæc confugiendum. Æger ab eorum uſu levamen doloris per breve quoddam tempus forſitan accipiat, ad id non ſine ſummo periculo; mox enim malum majore

jore cum violentia redit; aut partes magis vitales fortaſſe invadit. Van Swieten, qui hoc bene admonet, " magna prudentia opus eſſe, ut tuto leniri poſſint podagræ ſymptomata," ſemper audire juvabit.

Calor parti dolenti rite admotus, tutum omnino et jucundum remedium, maximum levamen affert; huc accedere debet idonea ratio victus; omnibus inſuper, quæ vel animum vel corpus irritare poſſint, ſedulo evitatis.

Diæta tenuis junioribus, et qui rarius morbo laboraverunt; ſenioribus autem, et qui ſæpenumero infeſtati ſunt, diæta magis generoſa convenit.

Quamvis medicamenta inter paroxyſmi initium noceant, attamen ſub finem, ubi homo vigilantia et jactatione fatigatus fuerit, anodyna utiliter dari poſſunt.

Paroxyſmo

Paroxyſmo demum finito ad vires reſtituendas maxime proficit exercitium modicum, ac ſi rigiditas ſit, fricatio per ſtrigilem haud parum juvabit.

Quod ſupra dictum eſt ad podagram regularem præſertim attinet, ſed cum morbus inveteratus fuerit, atque ſub formis irregularibus ſeſe oſtenderit, remedia potentiſſima adhiberi debentur. In varietatibus hujus morbi irregularibus, hoc præcipue agendum eſt, ut malum ab aliquo organo, cui inſiderit, ad pedes revocetur, et cum in ſingulis earum paroxyſmis vita in maximo diſcrimine verſetur, ad remedia valentiſſima quam citiſſime confugere oportet.

In retrocedente vel atonica, ſi ventriculum occupaverit, quod ſæpius accidit, ſtimulantia, tonica, atque antiſpaſmodica, dummodo prudenter adhibeantur, ſæpe multum juvant. Ex his vina fortiora, præſertim id quod *Madeira* nominatur, ſpiritus ſtillatii, aromatica, vel per ſe vel cum opio juncta,

juncta, camphora, æther, atque opium præcipue prosunt. Calor regioni epigastricæ atque epispastica vel sinapismi extremitatibus admoveantur oportet.

Cum pulmones vexantur, antispasmodica, imprimis opium atque æther, necnon versicatoria, et ad pectus et extremitates applicata, maximæ utilitatis sunt.

Si caput tentetur, tantum imminet periculum, ut vix aut ne vix quidem ulla salutis spes superfit; frigida mors instat, et, ne hæc animam ab corpore cito seducat, præsidium quamprimum ab epispasticis vel rubefacientibus capiti atque extremitatibus admotis, et ab ammonia, aliisque stimulantibus in ventriculum ingestis, petendum est. Magna sanguinis quantitate caput versus acta, an detractio ejusdem vel per hirudines temporibus impositas, vel ex vena jugulari incisa, præscribenda?

Ut in podagra aberrante affectiones naturæ inflammatoriæ sunt, omnibus, quæ inflammationem summovere, aut eidem obstare possunt, diligentius uti oportet. Qua de causa sanguinis missio, vesicatoria, atque regimen antiphlogistium dictum optime conveniunt.

Denique illud solummodo addere lubet, quod ii, quibus proclivitas in podagram insit, corpora sua in adolescentia curare debent; quando enim malum hocce frequentius invaserit, vix aut ne vix quidem expelli potest. Ovidius profecto haud temere canit,

Solvere nodosam nescit medicina podagram.

FINIS.

## CORRIGENDA.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| P. | 2. | l. 19. | *pro* vero, | *lege* vera. |
| — | 8. | — 16. | — caſus, | — caſas. |
| — | 15. | — 4. | — petitur, | — patitur. |
| — | 16. | — 11. | — quatuordecem, | — quatuordecim. |
| — | 42. | — 5. | — antiphlogiſtium, | — antiphlogiſticum. |